

gotia. Et quia mixtum quoque imperium ad civilia pertinet negotia, verum à jurisdictione differat, quod modica contineatur coërcitione *l. i. in fin. l. ult. ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisdict.* Ideò in definitione additum (*sive coërcitione.*)

PRACTICORVM OPINIO.

Jurisdictio propriè potestas dici nequit, ideoque non sic definitur, neque opus est addere verba (*sive coërcitione.*) Nam quod in hac materia non ponitur, pro eo habetur, quod nec est. Quantum ad mixtum imperium attinet, comprehendit quidem sub se jurisdictionem, sed non tanquam jurisdictionem quatenus inter se species illæ sunt separatae, & quidem si jurisdictionis potestas esset, quare non à potestate seu imperio initium caperet. Imò verò quatenus contrà, jurisdictionem potestatem esse negabimus: quæ causa est, quod jurisdictionem habentes magis amicè alliceant ab initio, quàm quod durioribus verbis utantur. Et sunt hæc singula superius pro majori parte delinata & explicata, quo minus hîc eadem de nuò repetere necesse sit. Pergemus ad reliqua.

THEORICORVM PRÆCEPTORVM

propositio decima.

Imperium describitur. Imperium est jurisdictio in jubendo & coërdendo consistens *l. finali, in fin. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisdict.* estque duplex merum & mixtum *d. l. finali, l. 3. ff. h. tit.*

PRACTICORVM OPINIO.

Superius notatum est, imperium ab imperando dici. Vide *l. 7. ff. de legib.* Et vox hæc paulò est plenior & nervosior, quàm terminus jubere. Ideoque & cum in bellis maximè opus sit
severis